



providentiam aut aequitatem quidpiam efficere possit. Non statuuntur omnipotentiae divinae limites, si asseritur eam efficere non posse illa, quae contradictionem involvunt: si igitur per Dei bonitatem, si per illius sapientiam, providentiam, aequitatem fieri non potest, ut anima, annihiletur: nihil est profecto, ex quo omnipotentia limitationis argui debeat.

Ex boni-
tate Dei.

19. An forte nimis in iudicando praecipuus sum? ne sim, quas memoravi perfectiones singulas accuratius contemplantor a bonitate ducturus exordium. Creator si bonus est, homo certe quemadmodum inter caetera orbis istius entia opus Dei nobilissimum est; ita pariter esse debet objectum bonitatis divinae praestantissimum. Qua de re ne dubitare quispiam possit, hominis anima a conditore suo exornata est praerogativis ejusmodi, quibus illius nobilitas plurimum supra entia caetera evehitur. Quis cogitare possit praecipuum bonitatis divinae objectum esse hominem? si ea solum de causa conditum esse intelligat, ut edat, & bibat, caeterisque corporis necessitatibus inferviat. Quid causae erit, cur homo singularem in se Numinis bonitatem miretur, venereturque? ubi potior occurrit ratio invidendi entibus caeteris dona illa, quae ex infinitae bonitatis thesauro acceperunt. Ea
- pro-